



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

De Dionysio Perioca, Portugalliae Rege, fundatore Militum Ordinis Iesu Christi, aliàs de Portugallo. cap. XCI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

*Filij Regum, Ordinis Militum de Montefia.*

Cap. LXXXIX.



RATER Iacobus, Jacobi Aragoniæ Regis filius, coniuge Leonora, Alphonfi Castellæ Regis filia, intacta relicta, Miles, & Magister Ordinis Montefiæ factus est, circa annum Domini 1330. & cum aliquandiu Ordinem strenuè rexisset, migravit a seculo. eo magis ab omnibus desideratus, quo se affabilem, & benignum omnibus exhibuerat.

*Scriptores Ordinis Militum de Montefiæ. Cap. XC.*

RATER Iacobus Falco, Hispanus, Valentinus, Ordinis Montefiæ Miles, admirabilis ingenij vir, quod enim ante ignotum, suo nobis manifestavit ingenio, paucis namque ad hinc annis, Quadraturam circuli nouiter adinuenit, & de ea insignem tractatum scripsit, qui excusus est Antuerpiæ, apud Ioannem Bellerum, anno 1591. in quarto. Arbitror eum adhuc superstitem esse.

*De Dionysio Perioca Portugalliæ Rege, fundatore Militum Ordinis Iesu Christi, alias de Portugallo.*

Cap. XCI.



DIONYSIVS, cognomento Perioca, Portugalliæ Rex, qui quintum inter Stellaros locum occupat, Cucullo amictus, & corona redimitus aurea, proximo tempore, anno scilicet Domini millesimo trecentesimo uigesimo, nouam Militiam in Lusitania constituit, cui a Christo nomen est, eo Regni nobilissimam, cruce rubra, linea candida interfecante distinctam, in atro amictu. Ordinem eodem Ioanne XXII. confirmante, illi Templariorum oppida, prædia, ædes, attributæ, tantum ut essent, qui proximorum Maurorum irruptionibus resisterent. Normam Dini Benedicti, Cisterciensium Constitutiones sequuntur, sub Magistro, cuius uectigal

æstimal centum aureorum millia: hoc inde, quod huic Ordini omnes provinciæ inuentæ tam in Africa, quam in Asia, & Brasilia, cum omnibus Insulis, atque Orientalis Indiæ, annexæ sint. Castrum Marinum primum Ordini Domicilium, inde Tonarium migratum. Frater Gillius, sine Ægidius Martinus, quondam Militum Auiforū, primus Ordinis Magister, & post eum alij.

*Filij Regum, Ordinis Militum Iesu Christi.*

*Cap. XCII.*



RATER Henricus, Ioannis Portugalliæ Regis filius, infans Lusitaniæ, Miles primum, deinde Magister Equitum Ordinis Iesu Christi, de Portugallo vulgo nuncupatorum, ampliandi Regni Paterni desiderio Africæ littora classibus lustrare cœpit, & in Atlantico mari nouas, & ab hominibus nunquã habitatas reperit Insulas, inter quas est ea, quæ vulgo de Madera nuncupatur, saccharo proferendo aptissima. In perpetua uirginitate permanens, obiit anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo. Totius autem itineris sui librum composuit, qui procurate doctissimo viro Ioanne Ramusio, impressus est Venetijs, Sermones Italico, cum aliis rerum noui Orbis scriptoribus.

*De Cosmo Mediceo, Magno Hethruriæ Duce Ordinis Militum S. Stephani Papæ, fundatore.*

*Cap. XCIII.*



ANO Domini 1561. excitatus est nouus Militū Ordo a Magno Hethruriæ Duce Cosmo, sub Regula Diui P. Benedicti, habitu candido, & cruce Rubra, ob victoriam de inimicis suis partam die secundo Augusti Diuo Stephano Papæ sacro, a quo nomen Religioni datū. Prima sedes in Insula Inuæ collocata, nunc Pisis habitant. Ordinem probauit, priuilegijsq; auxit Pius Papa IIII. cuius Ordinis Magister perpetuus est Dux Hethruriæ pro tempore, qui sexto loco inter Stellatos leuæ manus, habitu Monachi Cucullati, & Ducali corona redimiti conspicitur.

*Magistri*